IN TRANSLATIONE
SS. MARTYRVM
DOMNINI,
MERENTIANI,
ET SOCIORVM.
AD ILLVSTRIOREM
ſacræ Panegyreos elegantiam
Polymitus ingenij Callopiſmus.



ROMAE,
Ex Typographia Bartholomæi Zannetti.
M. DC. XVII.

SVPERIORVM PERMISSV.



Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij Apostolici.

Cæsar Fidelis Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Gregorius Donatus Rom. Mag. Reuerendiss. P. F. Hyacinthi Petronij Rom. Sac. Pal. Apost. Mag. Socius, Ordinis Prædicatorum.

ORNATISSIMIS ROMANI COLLEGII HVMANISTIS.

Paulus Felicius Octauij F. Sabinus Montopolitanus Humanista F.

PER COMMODE cecidit, Adoleſcentes ornatiſſimi, vt SS. Martyrum Domnini, Merentiani, & Sociorum in hunc maximè annum Tranſlatio ſit reiecta, quo anno eadē ipſi Claſſe coniuncti, poſt ingenia Grammaticis edolata dolabellis, Muſas colimus humaniores, amœnioresq́; optatæ iam eloquentiæ Candidati. Nam, cum ad cohoneſtandā Sanctorum panegyrim,

polymitũ ipſe apparatum apud me haberem vernaculo ſermone, Latinoque conflatum; vernacula ſolis obtuli Montopolitanis, quos ipſamet mihi Natura Populares dedit, ac Ciues: Vobis, apud quos omnia Romanus quidam nitor, & Latina planè, hoc eſt ſuis abſoluta numeris humanitas occupauit, non niſi Latina, & Romana debui amoris, & cultus ergo deferre: ne in eam ſcilicet humanitatem ipſe peccarem iniurius, quam non minus vitæ inſtituto, quàm ſtudio diſciplinæ, ſociali vobiſcum vigilantia, & accuratione profiteor. Niſi me fallit animus, ac niſi aciem ſuo mihi flammeolo philautia obnubit; tantulum hoc munuſculi (quod therapeuticæ cuiuſdam in vos beneuolentiæ arrhabonem eſſe peruelim) nec inutile omnino fuerit, nec inſuaue. Cum enim multigena ſit, & quaſi polymitaria

con-

contextum varietate, fieri non poteſt, vt improbatis omnibus, reiectiſque, nihil omnino probetur. Sit illud quidem ineruditum, ſit rude (quod ipſe non inficior) ſit inexcultum, ſit impolitum; fortaſſis etiam, quaſi extrema nondum manus acceſſerit, locos aliquot reperietis, vel acephalos, vel lagaros, vel miuros; meminiſſe tamen debetis, ita eſſe humana omnia, vt, quæ bona ſunt, ac ſpecioſa, quoddam habeant aut næui, aut ellipſeos epiblema; quæ verò mala, & inuenuſta, bonitatis, ac Veneris appendiculam non excludant. Sic in Oporothecis, non omnia ſcilicet poma ingrato marcore tabeſcunt; ſed alijs fraceſcentibus, intacta quædam ſeponuntur, & illibata, quæ aut Xenij loco mittantur hoſpitibus; aut à primis menſis pro Bellarijs inferantur. Vt vt autem res eſt, vbi Scri-

pta minus placuerint, studium certè Scriptoris, pro vestra æquanimitate probabitis; qui, ne, sicut conuiuas conuiuator ineptus arcet monophagia, sic ille anagnostas monographia repelleret, satietatis alexipharmacum secutus est varietatem. Ergo hic, quod citra fastidium perlegat, Homerica breuius Iliade Epyllion habebit Logario subditum: ille aut emblematis, aut statuarum Epigraphis capietur: alius Phreno. schemata percurret breuitatis peramicus: nec deerunt, qui vel vnico omnia spiritu hauriant famelici voluminum helluones. Valete.

LOGA-

LOGARIVM
Epidicticum.

SERIVS quidem multo, quàm vel Montopolitarum vota postulabant, vel Felicię Domus religio destinarat, Auditores ornatissimi, aliquando tamen sacra Beatorum Martyrum Domnini, Merentiani, & Sociorum corpora singulari Sabinorum omnium gratulatione transtulimus. Nam, si ea demum in animos influunt mollius; oblectantque vehementius, quæ diutius expetita, conquisita studiosius, adepta operosissimè, non exposita magis aspectui, quàm interiecta manibus contuemur; incredibile dictu est, quanta sint hodiernæ dulcitudinis incrementa, quam & singulis attulit, & vniuersis nostra hæc vt exoptata vehementer, sic vehementer operosa translatio. Quæ duo rem omnem ita sunt vel antegressa, vel comitata, vel consecuta, vti

cum summa esset sacrorum corporum appetitio, summa expectatio; nihilo tamen minor, aut leuior fuerit eorumdem conquisitio, inuentio, impetratio, translationis apparatus. Et quidem eo primum tempore commoueri cœptam auiditatem, quo tempore Sacelli Feliciani iacta sunt fundamenta, non septennij modò spatium, atque longinquitas quotidie magis, magisque amplificauit; sed ipsamet concupitæ rei nobilitas, ipse nitor, ipsa præstantia incrementis vtique mirificis in horas singulas auxerunt. Operositas verò negotij, vel ex eo palam est, quòd Reliquiarum thesauris extrahẽdis, intimæ sunt, ac cæcæ Romanorum Arenariæ subeundæ: nunc ascendendum per accliuia est, nunc per decliuia descendendum: saltu aliquando vtaris oportet, aliquando etiam reptatu: algore nonnunquam res erit, nonnunquam sudore transigenda; & quia non in directum semper patent itinera, sed crebris flexuosa periodis, mæandrisque, labyrinthæis velut erroribus implicantur; ad cæca vestigia tutò regenda, Ariadnæo se filo instruunt quæsitores. Hic tamen labor longè leuior illo est, qui è Pontificum nascitur Interdictis: nam, cum insaturabilis quorundam ingluuies finem nullum faceret intima Cœmeteriorum scrutandi, perfodiendi, exantlandi; grauiter admodum, idque non semel Apostolici Hierophantæ in eos edixere, qui non facta prius potestate, (quæ tamen & rarò fit, & ægerrimè) Sanctorum Reliquias aut licenter effoderent ex Arenarijs,

aut

aut attributa templis, ac tradita, quouis nomine acciperent, aut legitimè acceptis aliunde, pondus, ac fidem conciliarent publicarum testimonio tabularum. Rem verò per se difficilem infinitus pæne conquisitorum, competitorumque numerus difficillimam fecit, qui Reliquias non portione solùm, aut copia nobiles quæritant; sed ipsamet resegmina corporum, ipsaramenta membrorum, scobemque ossium elimatam, vel ad fastidium flagitant: vt in summi beneficij loco numeretur, aut cariosi cuiuspiam ossiculi frustulum, aut carunculæ tanquam insolatæ, infumatæve particulam, aut extimæ cuticulæ quasi senio corrugatæ portiunculã exoraſſe. Quò verior est, ac dulcior Montopolitarum voluptas, quibus diuinitus planè contigit, quaternis omnino Sanctorum Martyrum corporibus locupletari, admirantibus interim, atque adeo inuidentibus felicitatem contermінis Oppidanis, quòd è circumiecta Dynastiæ Farfensi tot Oppidorum corona, vni ex omnibus Montopoli datum est, quadrigemino Reliquiarũ thesauro & in transcursu perfrui, vicatim circumlato, & in hanc Ædem, tanquam in Ærarium decenter incluso diutiſſimè gaudere. Sed, opinor, id, quod huiusce Translationis est, per summa veluti capita eundo, videamus: vt eò clarius emineat Montopoleos vniuersæ felicitas, quò propius, omiſſis cõmunioribus, propria erimus persecuti. Quæ Montopolim corpora deportauimus, ac religioso huic templo illata,

illata, in aram Sacelli Feliciani reuerenter inclusimus, vt fidem apud omnes inueniant ampliorem, cultumque nanciscantur non exquisitum magis, quàm indefessum; non est in ambiguo, vnde nam huc peruenerint sacra hæc Hypolimmata, quosve sortita sint indagatores, quos inuentores, fossoresve, quos melioris cæli, ac luminis largitiores. Eos etenim ad eam rem habuimus administros, quibus id negocij dare tutò posset non acuta modò sagacitas Imperantis, sed etiam explorata sæpius Obtemperantium fides: nullas vt in eorum ministerio technas pertimesceres, quos apud omnes nudum, apertumque pectus, & antiqua morum simplicitas cōmendaret. Quia verò simplices, atque incallidos vulgus non raro à stolidis, ineptisque breui disterminat interuallo; simplicium probitati, sagacitas est coniuncta Prudentium, qui literis, qui Sacerdotio, qui eruditione conspicui, tectonicas aliorum artes ingenio, & auctoritate dirigerent. quæ quidem cautio, ne superuacanea cuipiam, aut nimia videatur; cognoscendum prius est, contumulandi cadauera hunc apud veteres morem fuisse, hoc institutum. In lateribus Arenariarum (sic enim vocabant, quæ vulgò cœmeteria dicimus) pro corporum numero humandorum, tot etiam necrodochia vetus illa Christianorum pietas excauabat: quò cum Demortuos intulissent, conceptaculorum ostijs laminas aut fictiles, aut marmoreas obturamenti loco aduoluebant: quibus calce oblitis extrinsecus,

secus, mos erat Græcis, Latinisque literis inscribere nomina Sepultorum, insculpere cruces, palmarum ramalia victoriæ indices efformare, varia effingere organa martyriorum, secures, ollas, fustes plumbatas, gladios, sartagines, vngulas. Lychniscos etiam ostracinos inuenere fossores, quos, vt religiosè arderent, Conditorum tumulis pij sandapilarij adhibebant: nec prætermissum concreti sanguinis portiunculas vna cum corporibus infodere, quem vel vitreis collectum ampullis, vel vasculis exceptum figlinis, accurata scrutantium repastinatione deteximus. Quamquam autem his fermè distinguebantur insignibus subterranea Humatorum receptacula; non omnibus tamen suæ sunt notæ, aut characteres impressi; sed alijs alia notabantur: hæc pluribus videlicet, illa paucioribus, alia nullis omnino. par igitur erat, vt per flexuosos, cæcosque cryptarum cuniculos simplex, & aperta quorumdam probitas, aliorum etiam acriori sagacitate regeretur. Quod cum perfectum sedulò fit, nihil in translatis huc Reliquijs adulterinum suspicamur, nihil falsum, nihil suppositititium, nihil insincerum; quandoquidem neque per imperitos homunciones administrata res est, neque per cupidos, improbosve confecta. Sed esto, alia nulla præstò sint argumenta, quibus ipsa se veritas tueatur; vnica nobis grauissimorum hominum auctoritas, qui Farfenses Montopolitanos effusa scilicet sacrorum Corporum largitione locupletarunt: cuius-

modi

modi sunt Domitius Platus, Ferdinandus Alberus, Claudius Aquauiua, Mutius Vitellescus, homines è Societate Iesu spectatæ admodum, probatæque virtutis, ac miræ in agendo sagacitatis: quorũ primus in Romana Professorum Domo procuratorias partes diutius iam sustinuit, hodieque sustinet honestissimè: Alter, Claudio è viuis educto, Vicarium egit generalem, egregio eiusdem Claudij elogio nobilitatus: Tertius animo præditus altiore Societatem vniuersam Generalis Præpositus ijs temporibus, ea fortitudine administrauit, vt Claudij magnanimitate per id tempus indiguisse Societas videatur. Cuius quidem viri largitas, vt pectoris altitudinem imitaretur; duplicata se nobis portione probauit: cum enim vnus, & alter ex ijs, quos diximus, singula postmodum Corpora singuli largirentur, duo Claudius iam, duplo largior, effusiorque concesserat. Nimirum cui viuentium aquarum scaturigines fecerant cognomentum, eiusdem viua etiam, ac spirans debuit esse benignitas, præsertim in Sabinos, quorum Rex Clausus non Claudiæ solùm Tribui, ac genti, sed etiam Claudijs omnibus nomenclaturæ consortium impertiuit: Mutius autem Vitellescus eò processit altitudinis religiosarum corona virtutum, vt perdignus videatur, qui omnes iam in Societate honorum gradus honorificè admodum emensus, ad extremum Præpositi Generalis personam communi totius Ordinis iudicio, & suffragio tueretur. Quem ille gradum

vix inierat, quum fama percrebuit constantissima, euectum ad eiusmodi amplitudinem Virum non literis modò, sed moribus excultissimum. Nihil sanè gratiæ causa circumlatum: nam, quod ad literas attinet, suam tenuit Encyclopædiam: moribus verò est adeo commodis, adeo mitibus, & humanis, vt Hominem ij dumtaxat non diligant, qui nihil ne auditione quidem, & fama de eo acceperint: nam, qui paululùm modò nouerint, illico rapiuntur ad amandum. Si loquentē audias, leporem (quod de Pericle legimus) in labris habitare; aut (quod Ambrosio, Platonique contigit) Vagientis adhuc in cunis oscillū apicularum mellificio dixeris deseruisse: quid multa? vnus ex omnibus dictus vulgò est, ad commune Societatis vniuersæ solatium decessori Claudio successisse. Grauissimam per se religiosi huiusce Quatuoruiratus auctoritatem longè grauiorem Pontificia Pauli Quinti Pont. Max. reddidit auctoritas, à quo feliciter est impetratum, vt quaterna hæc Corpora cum Cœmeteriorum tenebras melioris cæli lumine permutarent, tum, ad fidem ampliorem, Diploma vltro Apostolicum sortirentur. Nouerat vtique sapientissimus Mystagogus, non pauca de Sabinis ad Romanos esse traducta, Prænomina, Reges, Legislatores, Imperatores, Prosapiam, Insignia. Cum enim Romulum Tatius ob raptum Sabinarum armis vrgeret; suas ipse Tesseras quaternis modò literis compendiariò ita inscripserat: S. P. Q. R. hoc est, Sabinis Popu-

lis

lis Quis Resistet? Quæ causa fuit, vt signa etiam Romanorum ijsdem distincta caracteribus præferrentur; quibus indicabant fore, vt Sabinis Populis resisteret Senatus, Populusque Romanus. Gratus ergo Hierophantes, ac memor, vt affluentius multò veterem Sabinorum erga Romanos beneficentiam Romanus ipse rependeret, humanum, ciuileq; officium longè sanctiori beneficio compensauit. Si leuiora munuscula, crepundijsque puerorum similia tanti sæpe fiunt, quanta est grauitas, & amplitudo datoris; nō facilè dixerim, quo animi sensu affici debeant Montopolitæ, qui munus tantum à tanto Principe acceperunt: quandoquidem in Paulo præter summi, amplissimique Sacerdotij maiestatem (quæ, si in alio quopiam excitatius antehac fulsit, in eo vtique fulget excitatissimè) eas ipse dotes admirere, quas excelsissimi proprias Hierarchæ nemo non suspicit. Permira in primis est auitæ religionis nō retinendæ solùm, sed amplificandæ solicitudo, ac pro virili ad elegantiam excolendæ: sic Vaticanæ, sic Exquilinæ, sic Quirinales substructiones regiæ, vel tacente me, loquuntur, quarum vnis decessorem Petrum successor pius exornat; alteris, tertijsque Deiparam Virginem humilis planè seruus, cultor integer, modestus imitator cohonestat. Nec tamen humana deserit pro diuinis, qui paternę cuiusdam prouidentiæ cura, omnium quidem saluti, sed præcipuè Romanorum suorum consuluit efficacissime: quo factum est, vt, cum annonæ diffi-

difficultas timeretur, & caritas, summa sit copia, summa vilitas. Stoicam apathiam, dotem, qua nihil in animo turbidum, aut concitatum existit, philosophorum plerique sunt magnificè illi quidem professi; sed rei speciosissimæ nomen solummodo tenuere Stoici professores, rem verò ipsam Paulo Pontifici transmiserunt. adeò nihil deprehendas in summi Principis moribus inquietum, nihil auersum à ratione, nihil incompositum, nihil insedatum. Iam verò si à Personarum grauitate ad locorum amplitudinem, vnde sacra hæc pignora exportauimus, transgredi libet; Pia nobis germina sanctitatis Romanus ager effudit, is, inquam, ager, quem Via Salaria situm, Priscilla Heroidum non postrema contumulandis Martyrum corporibus destinauit: vt haberet opinor, in suo latifundio fœmina religiosior, quasi germina pietatis, quæ consita lacrymis, sanguine irrigata, stercorata cædibus, & quadantenus adulta, instar plantariorum in Sabinos, arduos illos quidem, sed tamen proximos maturo tempore transferrentur. Vtinam eiusmodi apud nos multiplici germinatione nanciscantur felicitatem, vt Sabinum hoc nouelletum nihil admodum degenerasse à Romano Priscillæ Seminario videatur.

Nec vacare arbitror, quòd is locus, vnde nostros ipsi Martyres effodimus, cœmeterij Græca videlicet nomenclatione notaretur. Cum enim ea voce aliàs Conditorium, Dormitorium aliàs designetur; nosse omnes debemus, primo Reli-

quia-

quiarum ad nos appulsu, seuerissimam omnibus indictam esse pacis, & concordiæ legem, si consilium est, Romam huc digressis, atque adeo cælitus missis Hospitibus dormitoriũ quasi cubiculum adornare. Nunquam in corpore, nisi præposterè, ac monstrosè à capite membra dissentiunt: ritè instituti Populares à Rege non discrepant: in domibus benè moratis, nec serui dominis, nec liberi parentibus aduersantur: idem nutus, renutusque inter arma est Imperatoris, & militum. Cum ergo Christus Dominus, in quem vnum & Capitis, & Regis, & Domini, & Patris, & Imperatoris quadrant onomasiæ, non alibi, quàm super Quietos (quandoquidem in pace factus est locus eius.) habitando requiescat: Martyres Christo coniũctissimi, apud Montopolitanos nec studio, nec præsidio habitabunt, si eos deprehenderint, vt intus à se distrahi conflictu, & dimicatione cupiditatum, sic foris à ciuibus abalienatione, ac diuortio voluntatum nouerint diffidere. Quæ sanè dissidia discrepantium animorum eò in vobis erunt vitiosiora, quò retinenda tenacius vobis est socialis quædam studiorum, & fraterna coniunctio. Nam quot Martyrum corpora huic templo religiosissimè intulistis, totidem vobiscum habetis exempla concordiæ, totidem tenetis non fictæ Charitatis incitamenta, totidem stimulis ad studium piæ consociationis vrgemini, quod cum de alijs affirmare non falsò queas, de Martyribus verissimè prædicabis, qui pace trifariam

fariā vulgò diſtributa perpetuò fruebātur: interiore primùm & ſua,cū tranſuerſi nullis agerentur illecebris voluptatum: Supera deinde,ac cæleſti,dum perexiguam diuini nutus ſignificationem, quaſi legem ſecuti, Deo nimirum præferebant nihil, omnia poſtferebant: poſtremo humana, ciuilique; argumento eſt,quòd extrema ſilentio perpeti maluere, quàm beneuolentiam, vel tortoribus debitam vltrici comminatione dirimere. Quocirca elaborate alacres, ac perficite, Montopolitani, vt fibris etiam veterum diſcordiarum penitus eraſis, placidiorem apud vos quietem inueniſſe Martyres videantur,quos penitiſſima Priſcillæ Arenaria,quaſi Dormitorio abditos, & conſopitos quies altiſſima leniebat.



EPYLLIVM
PANEGYRICVM.

QVI leuibus prouisor adest, minimisque paterno
Prospicit Omnipotens momenta in singula sensu;
Non tulit æterna cineres, atque ossa Suorum
Nocte premi; transmissa licet per sæcula cæcis
Abdiderit tenebris, patriæq; expertia lucis
Telluris tacitæ pullo velarit amictu.
Reddita natiuo tandem pia Corpora cælo,
Reddita cognato tandem pia Pectora soli,
Reddita sunt oculis Carorum, reddita luci,
Vel quæ lætificis animata Merentius auris,
Vel quæ Domninus vitali concita motu,

Vel quæ non timido fidentes prædita corde,
Sacra Deo soboles quondam gessere Sodales.
Priscillæ, quos Crypta sinu Romana premebat,
Quos via Romulidum sat nota Salaria Fastis
Cognorat cineres Imis, summisq; colendos
Montopolis nunc celsa fouet, tellusq; Sabina
Ante Arabum gazas vigili tutamine seruat.
Lucibus ò sacris addenda, ò debita Fastis,
Perpetuisq; dies millena in sæcula viuax,
Digna voluminibus; Pario quæ nata lapillo
Distinguenda nites, ac terras luce coloras.
Sacrorum cælo Capitum victricia nobis
Ossa oriens tu sola vehis, tu ditior Hermo,
Non rutilas auro lymphas, fluctusque beatos,
Quæsitasq; diù bibulo vel pectore arenas;
Sed fuluo meliora Tago, melioraq; Gange
Sanctorum cinefacta Virùm donaria defers,
Corpora Romuleis nil concessura trophæis.
Nunc Via, nunc demum perdulcè Salaria salsa est;
Nũc sapit, et stomacho melior, meliorq; palato
Non fatuas sinit esse dapes, insulsaq; mentis
Pabula, quæ cælo gratus conuiua Sodales
Aethereos inter valido nutrimine carpit.
Quà Sal è pelago veteres vexere petitum,
Aeternumque Viæ nomen fecere Sabini,

Hac

Hàc simul Heroum reditura in luminis oras
Ossa, per egregium Cœlo impellente laborem,
Longè Atauis melius deportauere Minores.
Hos tibi Montopolis contra insulsissima rerũ,
Sedula quære sales: ad putrescentia cordis
Vlcera, quæ cœco serpunt erratica lapsu,
Hos itidem tibi posce sales: dicteria quando
Haud accita licet subeunt, atque ora resoluũt;
Pro Venere, ac falsè Dictis, lepidèq; iocosis,
Pro salibus Cineres animo, Puluisq; recurrat,
Quo nuper ditata viges, atque Oppida circũ
Te melior, te nobilior contermina præstas.
Nil, reor, aut stolidè fatuum, aut scurriliter audax
Ore cadet; sed quale graues peperere lepores,
Quale modi docuere pij, moresque pudici,
Quale Patrum pudibunda Suis præscripsit honestas.
Nec se se his tantùm oppositis velut vndique clatris
Montopolitanæ tenuit sors aurea gentis:
Cũ Cinereũ appulsu, celebri cũ germine, tellus
Quod Romana suos fudit solata Sabinos,
Ipsa comes facili graditur Sapientia gressu,
Hospita mox etiam nostrarum fida domorũ,
Ni morũ vetet improbitas, horrorq; futura.

Quò patrias tandem repetat sapientior oras;
Empturo similis, profugoque, ac parcior exul,
Cœlum Democritus mutat, cognataq; tecta:
Mutat Anaxagoras, maculosi prodigus æris,
Prodigus aruorũ; dum se per iniqua reflantis,
Verbera fortunæ, tuto munimine fortis
Incolumẽ, saluumq; regat. Nilotica Mẽphis,
Quem genitrix puerũ doctis effudit Athenis,
Mox adolescentem cepit mirata Platonem
Instinctum Sophiæ stimulis, facibusq; calentẽ.
Pythagoræ Samij quis nõ, nisi plũbeus, hospes,
Audijt errores? Mystas vbi prouidus Erro
Consuluit Pharios, & Sacra occulta Canopi
Perdidicit; Persas Magicis se se artibus vltro
Addicturus adit: flagrantem scilicet astra
Impulerant animum Solis, stabilesq;, ratosq;,
Instabiles Lunæ, ac varios pernoscere mores.
A Persis ad Cretas abit: petit inde Laconas,
Qui variæ instructũ doceãt, q̃d Iura recusẽt,
Quid fas, q̃dve nefas prosit, noceatve popello.
Socraticum vulgò insolitus, sudorque, laborq;
Contudit Euclidẽ: Megarensi tẽdere Athenas
Quòd capitale foret, crepera sub luce docẽdus;
Socratis ad limen se vespertinus agebat.
Inconcessa viro vestis, concessa puellis
Discendi cupidum texit, non ora, caputque

Cœlo

Cœlo ostendentem; lueret ne sanguine pœnas.
Insomni propè traducta iam nocte docendo;
Quo veniẽs habitu infẽsas pperarat Athenas,
Hoc matutinus Megarã remigrabat amicã,
Bis decies pedes emẽsus per inhospita Regna
Millenos Iuuenis fidenti pectore passus.
At mihi, dũ sedeo tacitus, dũ ludicra voluens
Implicitis lentè manibus, vultuq; supino,
Immoror, & nunquam redituris obruor annis;
Diuinum Sophiæ exemplũ, laudumq; nouarũ
Ex imis Veterum cryptis hortamina surgunt,
Domnini cineres sacri, sacra ossa Merentis,
Et quæ nota Deo, fatuis incognita Terris,
Ardua Montopolis cepit sine nomine Busta.
Elingues, mutosque (scio) vitaq; carentes
Excipimus cineres, & nuda cadauera sensu:
Si strepitũ tamen excludat, nugasq; canoras
Non hebes Auditor, vacuas, & cordis in vnũ
Discendi studio defixus surrigat aures;
Nil vocale magis resonare, aut clarius vnquam.
Expertus referat, quã quod, plaudẽtibus astris,
Mutorum linguæ Cinerum sonuere loquaces.
Aure sonos bibe paciferos, ac sensibus imis
Digere Mõtopolis (canimus nõ falsa) reuixti.

EPIGRAPHÆ STATVARVM, quæ SS. Martyrum virtutibus, ac præmijs designandis humano effictæ cultu, ac specie proponũtur.

Μαρτύριον. Martyrium.

I.

NVdum præsidio latus,
Pectus propositum neci,
Ferro cor malè saucium,
Nec mœrore domabile;
Forma est propria Martyrũ,
Vera est Martyrij nota,
Cui prunæ referunt rosas,
Cui sunt pro dapibus cruces.

Ἀνδρεία. Fortitudo.

II.

QVid morte regnat fortius,
Cui Regiæ subsunt opes,
Cui ferreus cedit rigor?
At quæ nihil non edomat,
Hanc fortitudo Martyrum
Suis adulta cædibus,
Cruore pinguescens suo,
Oppugnat, expugnat, domat.

Ἐνέργεια. Actio.

III.

IS actuosus creditur,
Qui poscit acer hostem,
Qui prouocat, qui conficit,
Vrbemq́; victor intrat.
Non actuosi Martyres,
Si bestias lacessunt,
Si sponte flammas occupant,
Si vel cadendo vincunt?

Πάθησις. Passio.

IV.

ACtione (sat scio)
Nomen, decusq́; Fortis, assequère:
Hæc tamen celebritas
Perpessione certius paratur.
Ergo qui volet diu
Per ora viuus ingredi virorum;
Miles esto sub duce,
Agendo fortis, fortior ferendo.

Mar-

Πίστις. Fides.

V.

MArtyrio celebres quæ iam gessere pha-
Perpetuis dignissima fastis, (langes
Ilicet hæc fidei telo gessere feroces,
Non equitum, peditumq; cateruis.
Hostibus horrificum, Sociјs vitale, piumq;
Momentoq; parabile telum est.
Hoc miles præcinge latus, quē Tartara tingūt
Horrida, quem Stygia arma fatigant.

Ἐλπίς. Spes.

V I.

NIl breue, nil fluxum, celeriq; fugacius
Speratis, excelsi Duces: (Euro
Corpora tabescunt, ceu semina condita sulcis,
Fatoq; soluuntur suo:
Quæ tamē æterno Spes viuit, adulta virescit,
Ac fruge sperata emicat.
Spes alios, dum spondet opes mortalis, inanit;
Vos implet Immortalitas.

Mem-

Θεοφιλία. Charitas.

V I I.

MEmbra fluāt licet hostili cōscissa flagello
Tortor & vlceribus premat vlcera;
Carnificina tamen nondū placet horrida Cælo,
Quam nondum Theophilia comprobat.
Quòd si Martyrij lanienā hæc imperet vna;
Mox laniena Deo pia perplacet.
Virtutum vario è numero, laudumq; corona
Ante alias Theophilia regia est.

Ελευθεριότης. Liberalitas.

V I I I.

HEroas acres, prodigos animæ Duces
Conferre Liberalium vulgo libet:
Pecuniam dant alteri effusè pij;
Vitam alteri dant ocyus, dant largius.
Sit illa Liberalitas, sit largitas;
Hæc vsitata maior est, & rarior.
Hos inter aderit Parcus, ac nummi tenax?
Aderit Auarus, auro defesso incubans?

IX.

QVò cura mentis ardens,
Vel quà sedula tendat,
Prudentia docetur:
Hinc acer Polemarchus
Tormenta per seuera,
Perq; asperrima mortis,
Velut Vltimo, ac Supremo,
Christo immotus adhæret.

Δικαιοσύνη. Iustitia.

X.

QVi Iustitiæ vim tenet, auream,
Quæ cuique suum ferrea reddit,
Trutinamque gerens, æquat iniqua;
Merito iustos, meritoq; graues
Variè tortos vocat Heroas.
Viden vt mortem, morte rependant?
Viden vt prompti, facilesq; suo
Extincta Datori corpora reddant?

Σωφροσύνη. Temperantia.

XII.

O Martyrum coronas:
Pro mollibus rosetis,
Numeroq; ferculorum,
Cruore tincta largo
Rubere membra cernis.
At quos vides cruentos,
Lacerosq; contueris,
Hos crede Temperatos.

Ἁγνότης. Castimonia.

XII.

Mira olim integritas Martis decorauit alumnos,
Tractauitq; foris bellicus arma pudor.
Hinc veterũ linguæ tentoria, castra vocarũt,
Pectora quòd castris non nisi casta forent.
Et nostris hæc Eupolemis reddenda corona est,
Quorum inuicta manus, vita pudica fuit:
Nam quot martyrij respersu mẽbra rubescũt,
Tot sunt Angelicæ signa pudicitiæ.

Quo

Εὐστάθεια. Constantia.

X I I I.

QVò sua Virtuti cõstet super æthera merces,
Ferrea stat Probitas.
Aggerat vsque nouos Styx indefessa furores,
Aggerat vsque cruces:
Sed,quam viua semel cepit Constantia sedem,
Hanc tenet exanimis:
Saxa prius didici,sensuq; animaq; carere,
Nunc animata scio.

Θεοσέβεια. Religio.

X I V.

PLena est Relligio,ac numeros exculta per omnes,
Qua se innocentes Victimæ cælo sacrant.
Nulla foris virtus,nulla internoscitur intus,
Quæ non Datori prompta mactetur suo.
Vis animæ prædura iubet,iubet vltima; nutũ
Nemo satelles extimus fœdè abnuit.
Hæc holocausta suis,mundũ qui tẽperat horis,
Pio, ac paterno mitior vultu probat.

Sa-

X V.

SAgacium sententijs nitent mores,
Sudoribus bellantium vigent Vrbes,
At cui corona Martyrum caput lambit,
Suaq; purpurascit inclytus cæde;
Nil Solis hoc perfectius videt lampas:
Odere vitam Martyres, necem poscunt:
Amarius nil altera tulit tellus;
Nil altera suauius dedit cælum.

Μακροθυμία. Mansuetudo.

X V I.

NOn tot sanguineus, feroxq; pœnas
Inferni reperit furor Tyranni,
Quot exercita Martyrum periclis
Macrothymia perferendo vincit:
Non vltrix tonat ira, non citantur
Ardentes animi, trucesq; motus.
I nunc, i vagus Hospes, & regressus,
Mentes da mihi mansuetiores.

Mun-

X V I I.

MVndo dant operam Duces sub armis
Hinc Venus, hinc Plutus, mentis & inde Tumor.
Heu quot trina Manus cruenta perdit,
Et Stygios misere cogit adire lacus.
Vanescit tamen hic Triumuiratus,
Tela vbi Martyribus sanguinolēta mouet.
Inuictum caput ergo Purpurantum
Perpetua Superi cingite Laureola.

Μεγαλοψυχία. Magnanimitas.

X V I I I.

SEntis Martyrio ferociores,
Quos crucias fieri Tyranne?
Nunc promissa pius, precesq́; funde;
Pollicitis nihil insolescunt:
Nunc tormenta ferox, crucesq́; prome;
Supplicÿs nihil expauescunt.
Quos nec turbida, nec serena flectunt,
Magnanimos bene nominabis.

Hor-

X I X.

Horrendũ, ac tetricum est cuiq; odiũ sui,
Tanto sese homines impete diligunt.
Cur tot nunc animas proijciunt suas,
Mortemq; intrepidè oppetunt?
Ne quis fœmineo pectore præditus,
Se se odisse putet plus nimio horridum;
Casti sunt odij tot paradigmata,
Quot sunt stemmata Martyrum.

Σταυρομανία. Amor Crucis.

X X.

Non sic Doxophilos gloria concitat,
Aut Hermi eluuies Chrysophilos ciet;
Fortes vt vario nomine Martyres
Prælatam imperio, depereunt Crucem,
Quam ceu morologi perpetuò crepant.
Concessu ab supero nobilius tenent
Altæ diuitias, ac pretium Crucis,
Quàm norint Cupidi, quas sitiunt, opes.

X X I.

CHristo dedita pectora,
Frustra delicijs Tartare mitigas:
Cæli magnanimos Duces
Frustra supplicijs Tartare maceras.
Si fluxa, & fragilis caro,
Si corpus luteum; mens adamantina est,
Quam si non superas miser;
Vincenti meritam porrige Lauream.

Σαρκονίκη. Carnis victoria.

X X I I.

SEnsu nil melius Degeneres fouent;
Sensu nil grauius Magnanimi premunt;
Heroas dabo testes,
Quos hic purpureos vides.
Tu, qui delicijs vndique diffluis,
Vitaq́, illecebris mancipium subes;
Affixum tibi corpus
Hostem crede domesticum.

Prome

XXIII.

PRome iam vires furiale Monstrum;
Membra pugnaces Equitum cateruæ
Numinis gestant, mihi crede, sacro
Immota timore.
Vilior multis metus addit alas;
Hic & Auersos reuocat, tenetque.
Vincat, hoc Miles duce si citatus,
Arma lacessat.

Ἰσχυραγωνία. Certamen forte.

XXIV.

ARduum sanè, creperumq; & anceps
Disce certamen, Caput ò virile:
Ludus en atrox simul, & probrosus
Martyres vrget; tamen insidentes
Disce Victorum manibus triumphos.
Blanda si verbis, inimica rebus
Te domat, pestis Iuuenum voluptas;
Fœmina peior, minor & columba es.

Βȣλὴ. Consilium.

X X V.

QVod vi non potuit, fraudibus efficit
Dux feralis Auerni;
Et quos non domuit sanguineus Leo,
Hos vulpecula fallit.
Sed nil magnanimos callidior Draco
Infecit Polemarchos:
Tanta hos Consilij copia munijt,
Tantum sepsit acumen.

Σύνεσις. Intelligentia.

X X V I.

QVàm sint acuti Martyres; quā Lyncei,
Dum contuentur mystica,
Quæ Paruulis arcana recludit Pater;
Laniena præsens edocet.
Nouere vel quid debeant Christo Duci,
Mercede vel qua militent;
Mox & Leones bellica instincti face,
Mortem morantem prouocant,

Quis

XXVII.

QVis demum Sapiens? Prima cui Mens
Cognita, dulcè sapit, seq; Tonantis,
Verbisque, ac rebus sponte sacrauit.
Hanc ô Martyribus reddite laudem,
Quorum lux Domino subdita fulget,
Quorum nex Domino reddita floret,
Qui sic non sapiat pectoris impos,
Hic mihi præduro est robore natus.

Γνῶσις. Scientia.

XXVIII.

DOctrina Veterum celebris hæc olim fuit;
Noscere multiplices ritus, modosq; siderum.
Quæ Martyrum scientia est? quæ literæ?
Noscere vim Superũ; habere certò cognitũ,
Idoneum nil esse, nil certum magis
Numinis obsequio, ad gloriæ commercium.
Academiam cum Porticu iam negligo,
Improbo Gymnasia, Lycea prisca respuo.

XXIX.

OPpugnant aduersa Pios: cælo edita vox est,
Quã cõprobarunt Martyres, quã sibi quisque probat.
Namque vbi desieris nugas captare fugaces,
Et vana rerum persequi nomina desieris;
Aut bello ardebis tacito, aut vrgebere aperto,
Seu te furentes Cæsares, seu Stygis arma premant:
Tu ne cede Ducum, Stygio ne cede furori,
Gnarus, nihil nũ inclytũ iugiter hoste premi.

Μισθαποδοσία. Remuneratio.

XXX.

HVc alma Virtus, & pia Martyres
Tuere tandem, quos decorum Pater
Mercede inaurat persoluta,
Et statuit super astra reges.
Quam copiosa est parta doloribus
Heroicorum gloria Pectorum,
Sceptro manum regaliore,
Laureola decorante crines.

Nil

XXXI.

Nil nisi diuinum, quos regia purpura
vestit,
Martyras insignit: rerum contẽptio mira est;
Ardor opum friget, vanescit cura peculi,
Deliciæ sordẽt, crux est vel acerba, Voluptas,
Nulli gloriolæ; stimuli philodoxia nulla,
Vitæ odiũ, quale in Cupidos furit, atq; rebelles
Diuinos persæpe Duces fortuna vocauit;
Hos dixisse Deos, virtus heroica cogit.

Παγκράτιον. Pancratium.

XXXII.

Pancratio certare iubes, quos Cæsares vr-
(gent,
Dux Christe, Bellantum vigor:
Vt neruos tamen intendant, & pectore toto
Ferocitatem colligant;
Ipse in Martyribus latitas, viresq; ministras,
Et calcar hortando admoues:
Tu bellas Polemarche sacer, ne pluribus vtar,
Tu vincis in Martyribus.

XXXIII.

HVc ò Camœna, & celebre Pammachion cane,
Inuicta quò se Martyrum exercet cohors.
Hinc Styx ferocit horrida, hinc Reges furunt:
Crux, ignis, vnda, mixtus & probris dolor
Vel Innocentes more Tartareo premunt.
Seu Cæsares, seu Tartara horrendùm fremãt;
Multiplicent tormenta, dum Tortis noua
Multiplicent trophæa, quæ cælo inferant.

Μεγαλοπρέπεια. Magnificentia.

XXXIV.

QVàm non se modico fine, vel ambitu
Par astris cohibet Magnificentia.
Edunt magnificè munera Principes;
Vrgent magnificè prælia Martyres:
Hos robur celebrat, diuitiæ Alteros.
Posthac è duplici magnificentia
Aeternùm valeat propria Principum,
Dum præstò mihi sit propria Martyrum.

O rex

Φιλία. Amicitia.

XXXV.

O Rex beate Martyrũ, ac Ducũ Rector,
Qua purpurantes Milites notas voce?
Quo nomine appellabis æquus Heroas?
En in tuæ spem gratiæ necem poscunt,
Animas relinquunt prodigi, piè expirant.
Vel voce si docente te, vel exemplo,
Nil hoc amore augustius creat Tellus;
Tuos amicos nomina, & quadrat nomen.

Ταπεινοφροσύνη. Humilitas.

XXXVI.

DVm tu Magnanimos miraris Martyras, hospes,
Ipse humilies pariter miror, & exiguos.
Debita Sacrilegis nimirum, debita Mœchis
Pœna est, Innocuos quæ truculenta premit:
Vel pecudum ritu passim cæduntur Inermes,
Nec mediastinis subdere colla piget.
Est Humiles humili ius apparere Dynastæ,
Et Caput exiguum, Mẽbra pusilla decent.

XXXVII.

ARmati, an præter solitũ bellatis inermes
Heroes alti? nulla vos arma obtegunt;
Audetis tamen vnanimes in prælia, & hostem
Piè cadendo sternitis, Christo Duce.
Vnica obarmatos validè panoplia coronat,
Diuina vis, seu gratia: ò ter maximos
Infernis, superisq; Duces per secla verendos:
Quàm vos beatè arena cataphractos capit.

Καθαροκαρδία. Cordis munditia.

XXXVIII.

ABlutum priùs & lacrymis; & rore superno
Sanguinea cor Martyres vnda
Vsque lauant, ne forte minor labecula summo
Displiceat deprensa Tonanti
Lætificos nunc vera tuos lux obijce vultus,
Nunc offer te, Christe videndum.
Quo pietas humana Deũ cælo addita lustrat,
Est oculus vel purior astris.

XXXIX.

NE tua, Rex hominum, vel duris obuia virtus,
Tonantis ab sententia, Patris ab obsequio.
Transuersum digitũ, latũve recederet unguẽ,
Mors ilicet te sustulit debita Sacrilegis.
Hi tua quos nosti, Heroes, quò iussa capessant,
Doloribus se mancipant mortis ad imperiũ.
Qui super astra locas Dux, ò te maxime cepit,
Hic & tenebit Militis nõ tibi dissimiles.

Χαλκεοκαρδία. Cor æneum.

X L.

NEc dura frangũt Martyres vi vulnerũ,
Blãda nec alliciũt spe molliore munerũ.
Deprensa causa est; ferreo sunt pectore,
Mens adamãte riget, p carneo cor æneũ est.
Tale & Poesis Herculi affixit vetus,
Quod tamen edomitum, cupidini cessit suo.
Qui cælo honestè militat, Christo sacer,
Oderit Herculeũ, requirat vsq; Martyrũ.

XLI.

O Vid intuor, Commilites?
Vasti repertor orbis
Cruore largo perlitus,
Expirat innocenter.
Audete mecum: Principe
Cadente percruento,
Turpe, ac probrosum est, Milites
Decedere incruentos.

Πανδοξία. Gloria omnigena.

XLII.

V Sque vices mirare beatas,
Qui Martyrum spectas opes.
Quos vltrix panoplia premebat,
Hos nunc fouet Pandoxia.
Si nil non mercede rependit
Immota Regis æquitas,
Pro Superis certare beatum est,
Et gloriæ plenum emori.

Mox

Ηλιομορφάνεια. Similis solari fulgor.

XLIII.

MOx purpurantum corpora Militum
Tenebrionum crimine saucia,
Nitore fulgebunt beato,
Ditis opes imitata Solis.
Sol alme nomen respue pristinum,
Et singularem pone superbiam:
Iam posteris vulgò licebit
Multiplices numerare Soles.

Ελαφρότης. Agilitas.

XLIV.

EN quò Tænarij Leonis atrox
Euasit rabies: fugacis Euri
Præuertunt celeres, vagosq; flatus,
Qui quondam rigidis graues catenis,
Immoti iacuere sub Lanista.
Vide fœtiferum Crucis vigorem:
E truci grauitate, vinculorum
Orta est Aggilitas beatitatis.

Ἀπάθεια. Impassibilitas.

X L V.

QVos vulgus canit, hoste subacto,
Eupolemos, ac fronde reuincit;
Casuri, Capitolia scandunt,
Passuri suprema, triumphant.
Quos hilari Deus ore salutat
Victores, Apathia coronat.
Regna, & opes dant sæpe Dynastæ;
Nil at posse pati Deus offert.

Παμκτησία. Vniuersa possessio.

X L V I.

QVod eripi vulgo licet,
O Martyres verendi,
Exorbuere scilicet
Auidissimi belluones.
Vos interim Cœlo additos,
Terrisque præsidentes,
Omnis bonorum copia
Intus, forisq; inaurat.

Αιζωία. Vita sempiterna.

XLVII.

AGnoſco vigiles Tonantis ignes:
Quo vulgò appetimus calore vitam,
Hoc necem intrepidi Duces Olympi
Inter Carnificum petunt ſecures.
Profundant licet ignei Leones,
Quas vrgent, animas, premuntq́; in horas,
Si manet Supera domo Receptos,
Vitæ inocciduæ beata merces.

Λεπτομερία. Subtilitas.

XLVIII.

MVcrone quondam Cæſarum
Transfuerberati barbaro,
Nunc debitæ victoribus
Subtilitatis compotes,
Traijcite cælum Martyres:
Animale, quod corpus ſemel
Inter dolores concidit,
Iam ſpiritale, intermicat.

Παγκαρπία. Fructus omnifarij.

XLIX.

Quæ poma, quasve fruges
Mens delicata poscit,
His Martyrum cruenta
Circumfluunt Coronæ.
Auidi notent coloni:
Celebrem pij labores,
Et vulnerum fluenta
Pancarpiam crearunt.

Παγκληρία. Hæreditas vniuersa.

L.

Summi vos (fateor) premunt rigores:
Sed merces nihilo minor parata est
Inter inclyta Cœlitum trophæa
Ver hic perpetuum viget bonorum:
Sua est Sensibus intimis voluptas;
Suum est sensibus extimis malagma.
Heroes properate bellicosi;
Hic Pancliria conditur paterna.

E M-

EMBLEMATA.

QVORVM SYMBOLA NON pauca ſunt aut ex agri Sabini ducta ingenio, aut è Sabinorũ moribus accerſita.

1 Literariæ notæ quatuor, S.P.Q.R. id eſt, Sabinis Populis Quis Reſiſtet? Quæ notæ quondam teſſeris additæ Sabinorum, celebre nunc Senatus, Populiq; Romani ſtemma conficiunt.

Emblema Primum.

ELementa ſunt quaterna,
Inſigne nunc Quiritum,
Quæ Milites Sabini
Ad bella præferebant.
Nunc dulcè feriati,
Expreſſa penicillo
Vexilla ſanctitatis
Circumferunt Minores.

2 Fausta puerpera, quæ Ostiæ quadrigeminos vnico puerperio, duos mares, totidem fœminas est enixa.

Emblema I I.

GRatare iam, Sol, pupulis,
Quos Fausta fudit Ostia
Partu quaternos vnico.
Sed paruulis in fœtibus
Meos notabis Martyres,
Quos Crypta Priscillæ edidit,
Euonymos in masculis,
In fœminis Anonymos.

3 Ludus, seu certamen cursorium, quod Græci Lampadidromian vocant, ex quo is victor discedebat, qui face inextincta metam attigisset.

Emblema I I I.

SOlertem, ancipitem, laboriosam
Lampadidromiam refert Tabella,
Qua cursor vigilem fouens lucernam,
Præreptum Socijs tulit brauium.
Martyres dromicos putabis hospes,
Inextincta quibus fides, amorque,
Per damna, & varios necis dolores
In cælo meritam parat quietem.

Aegy-

4 Ægyptiæ mulieres tetradyma prole pernobiles.

Emblema IV.

CVi cessat vacuo Musa solutior;
Mellita hic repetens arte genethlium,
Notas tetradyma prole puerperas
Cantabit Pharias liberior nurus.
Priscillæ mihi rus carmen erit sacrum,
Cuius fertilitas non malè cognita,
Tandem multigeno pignore diuitem
Inter Cælicolas Montopolim locat.

5 Sol sua vectus quadriga.

Emblema V.

QVa Sol inuehitur, picta quadriga,
Mortalesq; hilarat luce renata,
Illius admoneat, quàm pia nuper
Transmisit superis Roma Sabinis.
Martyras ipse tuos Farfare nosti
Semper inoccidua luce corruscos:
Hi tibi quadrino munere pulsa
Iustitiæ Solem nocte reducunt.

6 Heliogabalus Imperator, qui in delicijs leones habet exarmatos.

Emblema VI.

NEc dente diros, vngue nec horridos
Tractat leones Heliogabalus,
Tetrosq́; natura ferarum
Delicias putat esse rictus.
Blandire sacris alma Leonibus,
Sabina tellus: namque Ferocitas
Quos ære nouit duriores;
Tu faciles, tenerosque sentis.

7 Ardens acerra, corde supernè addito.

Emblema VII.

SOle flagrantem nimium propinquo
Signat Aegyptum studiosa Memphis;
Igne dum cordis tenuante vires,
Ardet acerra.
Igne sic mentem Supero incoquente
Martyrum quondam caluere corda;
Secta dum ferro populante venas,
Membra ruberent.

Nili

8 Nili fluuij simulacrum sexdecim puellulis circunsessum.

Emblema VIII.

SExdecim Nylus cubitis inundans,
Aegyptum egregiè beat,
Vberem spondet Cererem colonis,
Molles delicias parat.
Martyres ergo fera si dolorum
Tempestas malè proluit;
Quanta nunc albet super astra messis?
Quanta est lætitiæ seges?

9 Cybele turrita leonibus ad currum religatis inuecta, cui Corybantes, quasi custodes assistunt.

Emblema IX.

TVrrigeram Cybelem refero,
Quam noti Corybantes
Iure satellitij cingunt,
Obuallantq; fideles.
Hinc tu Montopolim recole,
Quam vicina coronant
Oppida, quam Vigiles alti
In momenta tuentur.

10 Montopolis Sabinorum hinc alluta Tyberi, illinc Farfaro irrigata.

Emblema X.

PRidem me Tyberis cum Fabari lauat
Notis ilicet vndis:
Namque hic cæruleis, ille subalbidis
Largè diluit agros:
Posthac & supero munere largius
Ortis æthere lymphis,
Quas Domninus aget, quasque Merentius,
Fœcundata virescam.

11 Bicipitis Iani templum quadrifore, prisca veterum Romanorum religione consecratum.

Emblema XI.

DVm quadriforis memor vsque
Seruas vestigia templi,
Ianumque sonas mea Roma;
Hìc Montopolis prece multa,
Et quadriforem colit Aedem,
Quæ bis gemino sacra busto,
Foribus patet vsque quaternis.

12 Ianus antiquissimus Italiæ Rex ore quadrigemino fictus.

Emblema XII.

IAnum colant Quirites
Quadrino ore celebrem,
Seu lingua, seu potestas
Formauit quadriformem.
Templum hoc mihi colendum est
Rari theca talenti,
Quater inclytum dochion,
Gemmarumque locellus.

13 Quatuor Sol vrnulis imminens, quibus rerum semina omnium seruat inclusa.

Emblema XIII.

ORdine dispositis Sol vrnulis
Inclusa rerum semina,
Perpetuò seruans, quidquid viget,
Stabili tenore temperat.
At Sol Iustitiæ Christus meos
In Martyres, quos transtuli
Coniecit charitum, melioribus
Spargenda terris, semina.

14 Veſpaſianus Auguſtus, qui de more in amœnioribus regionis Reatinæ Viretis æſtiuat.

Emblema XIV.

RElicta, grauibus iocoſa miſcens,
Vrbe, Reatinos Veſpaſianus adit.
Aeſtiuas agit hic ſolutus horas,
Quas tempe algifico frigida rore domant.
Domninus melior, beatiorque
Montopolitani nominis arua colit:
Non hunc ſola mihi redonat æſtas,
Omnia qui mecum luſtra quietus agit.

15 Venuſinus Romanorum Lyriſtes, qui in alſioſo Mandelæ receſſu animi cauſa modulatur.

Emblema XV.

SIc Lyriſta perbeatus,
Quem Mandela ſub æſtu
Valle recreat rigenti,
Curas mitigat acres.
Quò leuet Sabina virtus
Infortunia vitæ
Laude Martyrum ſuorum,
Quos huc Roma refudit.

Sabi-

16 Sabinorum Rex Tatius, quem in Regni societatem vocatum à Romulo, suum Romani Regem aliquandiu agnouere.

Emblema XVI.

SI quondam Tatium Farfarus audijt
Consortem Imperij, si mea Romulum
Dantem iura Sabinis
Vidit Montopolis Ducem.
Longè nunc alios hæc Dominos colit,
Domnini aureolis subdita fascibus,
Sceptro addicta Merentis,
Quo Natis Pater imperat.

17 Romanorum Legati, à quibus vltro delato imperio Numa Pompilius Romam Curibus euocatur.

Emblema XVII.

QVod Numæ Imperium Roma Sabino
Excita Laribus detulit vltro
Suos admonuit Montopolitas,
Translatis ducibus tradere sceptra,
Vrsitáq; Fabarim fronde reuinctum,
Domnino famulas voluere lymphas.
Vt Numæ quondam sceptra fuerunt,
Et hæc (non fallor) crede paterna.

Tarpeia

18 Tarpeia Veſtalis Tarpeio è Cliuo præceps à Sabinis militibus data, ſuperiectisq; clypeis obruta, & confecta.

Emblema XVIII.

EN clypeis Tarpeia Sabinis
Obruitur, prius obruta gemmis,
Armillis prius icta coruſcis.
Interea philocerdia paſſim
Obruta ſuccumbat, mea Pubes,
Domnini exemplo, atque Merenti,
Quos veluti clypeos tibi Numen
Iam pridem curauit ab alto.

19 Raptæ ab Romulo Sabinæ, quæ Patres, Virosq; mutuam in cædem, effuſos momento conciliant, medijs volantium vtrinque telorum ſtridoribus interiectæ.

Emblema XIX.

ET genus Androgynum, & graue robur
Ineſt Sabinis fœminis,
Quando inter volitantia tela,
Viros, patresq; molliunt.
Heroes tibi Farfare præſunt
Euonymi, atque Anonymi,
Ira quibus diuina ſerena eſt:
O Fœciales optimos.

Mon-

20 Montopolis Sabinorum frequentibus circa oppidis quasi diademate coronata.

Emblema XX.

O Qui Montopolim tueris, hospes,
Cerne simul decus oppidorum,
Queis circumpositis velut corona,
Perpetuò redimita fulget.
Mox & belligeras tuere Mentes,
Martyrij grauitate notas:
Hanc vt Montopoli scias coronam
Numinis imperio statutam.

21 Sabini Milites occupato iam Capitolio insidentes.

Emblema XXI.

INtrepidus Capitolia miles
Cum Tatio teneat;
Dum teneant, quos Roma fouebat,
Tecta Sabina Duces:
Exitium namque, hoste recepto,
Dum sibi Roma timet;
Tunc me vel præsigne salutis
Recreat auspicium.

Hersi-

22 Hersilia, præcipuum Sabinarum matronarũ decus, ac nitor, cuius opera, interuentuq; Tatius, ac Romulus odia simul cum armis abiecere.

Emblema XXII.

O Sensum Herſiliæ marem:
Reges vna duos mitigat efficax;
Hæc mollit pia Romulum;
Iratum hæc Tatium suppliciter domat.
Has inuecta mihi vices
Implet nobilius Regia sanctitas,
Quæ Numen scelere incitum
Certa perpetuò conciliat prece.

23 Romulus, qui ad leniendos raptarũ animos, Sabinarum auream bullam, Prætextamque primę omnium puerperæ pollicetur.

Emblema XXIII.

BVllam scilicet auream,
Prætextamq; puerpera
E vobis feret illico,
Quæ ciuem dederit prior.
Sic raptum Iliades leuans,
Translatos cineres notat,
Quos nec fulgor amiculi,
Nec bullæ æquiparat nitor.

Roma-

24 Romanorum exercitus in fugam, Sabino vrgente coniectus; quem prece, ac templi voto reuocat Romulus.

Emblema XXIV.

ROmule siste Tuis prece fugam,
Dum tibi dextra Sabina meritum
Comparat exitium: pia Ioui
Templa voue, trepidosque reuoca:
Nam Stygij canis incita fuga
Non aliqua valet arte reprimi,
Si Domninus agat pius eques,
Tartareosque premat malè duces.

25 Plaustrum, quod sale sacculis incluso graue, non longè in Sabinos à Salaria porta processit.

Emblema XXV.

QVa Salem via è Salo,
Nunc inuehunt non desides, viæque
Nomen inclytum parant
Patres Sabini, hac postmodum Nepotes
Ossa conuehent pia
Heroicorum pectorum. Saporis
Insueta gratia est,
Qua se beate condient Sabini.

Farfa-

26 Farfarus Abbatiæ Farfensis amœnus æque, ac piscosus amnis, ideoq; hamiotarum, pastorumque studijs expetitus.

Emblema XXVI.

NE semper ipse Farfari canam dotes,
Seu frõde tectus vitreas agat lymphas,
Seu hamiotas vberi trahat fœtu
Piscosus amnis; Hospitum facit virtus,
Ex Vrbe quos huc transtulit pius Cultor.
Quæ iam futura sit charismatum moles,
Qua Farfarus me proluet, scatens cœlo;
Tacendo, quàm loquendo clarius constat.

27 Hersilia, quam eductam Terris, Quirinoque coniunctam, æuum in cælo agere poetica fabulositas somniauit.

Emblema XXVII.

IAm generis matrona decus prælustre Sabini
Quam cecinit toties Romulus Hersiliã,
Finibus excepta est superis, ac iuncta Quirino,
Alta premit tandem sydera, & Ora Dea est
Fabula Peligno est non ignorata poetæ,
Qui cælum arbitrio datq; adimitq; suo.
Montopolis mea rem capiet, cœloq; sedebit;
Si sibi Domninum viua vigensq; iuget.

Sabus

28 Sabus Sabinæ auctor nomēclaturæ, T. Tatius, Numa Pompilius, & Ancus Martius, Capita vel armis, vel religione, ac legibus inclyta.

Emblema XXVIII.

BEllà Tati, legesq; Numæ, Saboq; Sabinū
Parente natū nomen, atq; Anci Themis,
Ilicet antiquum est carmen, longeq; vagatum,
Licet merentes dignus extollat fauor.
Quare agite, assidui posthac celebrate quater-
Euonymos, Anonymos cæli duces, (nos
Montopolitarum Vigiles, munimina belli,
Arces Sabini nominis cœlo pares.

29 Numa Pompilius ad Vestæ templum, ad cuius valuas duæ Vestalium assistunt, quæ ab eodem lectæ Numa sunt.

Emblema XXIX.

INtegritate nobiles, cultu graues,
Vestæ sacras qui Virgines legit Numa,
Vt ignis vsque viueret viuus semel;
Pius Nepotes impios nollet Pater.
Ergo Sabini adeste, sacrisq; ossibus
Hærete semper additi, ac viuæ facis
Fouete flammam corde conceptam pio;
Fecisse ne plus Virgines Vestæ canam.

30 Montopolis Sabinorum, quam edita montium iuga, velut aggeres circumuallant.

Emblema XXX.

O Nos beatos: corpora
Mons hinc tegit Vacunæ,
Amœnus & Lucretiles;
Hinc quem colunt Farenses.
Animos beatè sospitant
Anonymi Leones,
Domninus, ac Merentius:
O nos beatiores.

31 Sabinæ, Romanæque acies, cum propter raptas Virgines dimicare voluissent, depositis armis, myrtea verbena purgatæ.

Emblema XXXI.

CVm Romulo Rex Tatius è duro pius,
Fœdere perpetuo post bella se cõiungeret;
Frutice Sabinos expiauit myrteo.
Scilicet vt melius sese expiarent Posteri
Cinere beato purpurantum Militum,
Ossibus & Superũ sanctè, ac piè reconditis.
Sic expiatis mentibus; quis commoda
Reddita Supplicibus canorus ales concinat?

Lapis

32 Lapis in agro Sabino, qui oleo inunctus, illico exardescit.

Emblema XXXII.

INter Sabinos, Pallade infusa, illico
Lapides flagrarũt ignei: ò flãmam, ò facẽ.
Inter Sabinos cinere persancto inclytos,
Homines rigebunt saxei? ò probrum, ò nefas.
Si tot Sabinis Romula ex agro Deus
Transmisit oleas, Ossa quot piè albicant;
Capitale prorsus fuerit, ac dignum cruce,
Lapidis ad instar algidum rigescere.

33 Milo Crotoniates, quem nemo educebat vestigio, cum constitisset: malum tenenti nemo digitum corrigebat.

Emblema XXXIII.

QVod semel articuli malũ tenuere Mi-
Non vlla vis extorqueat. (lonis,
Tuta satis res est, quam dextra tenacior ære
Miloniana munijt.
Supplicia, & rigidæ conspirãt vndique cædes,
Quò Martyres Christo auferant:
At quibus hæc neruis, validas quæ cõtinet ar-
Dextram Tonantis corrigant? (ces,

34 Quatuor elementa, quorum & concursu res gignuntur, & vsu genitæ conseruantur.

Emblema XXXIV.

NOta est vtilitas elemẽtis orta quaternis,
Quæ prima rerum semina, summaque & ima replent.
Hinc fluit assiduè vel quo spiratur in horas,
Vel quod calore conficit imperiosa fames.
Quattuor è ducibus Romano munere missis,
Ceu perbeatis fontibus, vita Sabina trahet
Angelicæ vitæ iubar, integritatis amorem,
Aeternitatis pabulum, relligionis opes.

35 Quatuor anni vicissitudines, Ver, Aestas, Hyems, & Autumnus.

Emblema XXXV.

SVpplex quaternas Solis implorat vices,
Qui seriò rem quæritat.
Farfense nomen, Supera cui facem admouent,
Quos condidit, castè colat,
Duces quaternos Romula eductos plaga.
Et hi suas cum floribus,
In pabulum vitalius, fruges dabunt.
Tam validus Horarum est vigor.

Romu-

36 Romulus, qui & Quirinus, in Hersiliæ coniugis occursum, cælo excitus.

Emblema XXXVI.

Sýderea vt facilis decurrit ab arce Quirinus,
Hersiliamq; petit.
Plenus vt officij, sociã, super astra Receptam,
Destinat imperij.
Si quid dispico, tardum nec pectus hebescit;
Hic mea res agitur,
Domnini occursum, cui iã sperare sub vmbras,
Luce cadente, datur.

37 Iris ad Hersiliæ luctum ex amisso iam coniuge mitigandum, è cælo Iunonis imperio delapsa.

Emblema XXXVII.

Iunonis missa imperio Thaumantias Iris,
Sordibus atratam lenijt Hersiliam;
Hersiliam, quæ docta torum seruare pudicũ,
Vrgebat raptum rore tepente Virum.
Ipse quater gemina solaberis Iride luctum,
Farfare, si qua Tuos vis inimica premet.
Quas noua Thaumãtis, Priscillæ cognita cælo,
Lætitias vultu versicolore dabit?

38 Hersilia post Romuli obitum fabulosè in cælum abrepta.

Emblema XXXVIII.

TEndere quò Innuptas ius sit, Nuptasque Sabinas,
Hersiliæ raptus mihi monstrat.
Iliaden matrona virum dum luget ademptũ;
Sydereo duce redditur astris. (ces?
Quæ lacrymis reddenda pijs post funera mer
Quam sibi nemo finxit acutus.
Iam, nisi deliras, risus, nugasq; canoras,
Tetricitas depone Sabina.

39 Venti quatuor præcipui, Eurus, Zephyrus, Boreas, & Auster.

Emblema XXXIX.

NVnc tandem perflare tuis, mi Farfare, ventis,
Priscilla quos, vt carcere, premebat specu.
Experiere Animas vulgò, mihi crede, salubres,
Non horridas, non turbine insano truces.
Nunc teneris prodesse Satis, nũc scimus obesse,
Quos Aeolus vel montibus ventos premit:
Horum flabra tibi felicia scito futura,
Seu iam renata luce, seu dempta, ingruant.

Mon-

40 Montopolis Sabinorum, quã vt Petrus Oddus Poeta, sic platea natiuo saxo ferruginei coloris ex æquo strata nobilitat.

Emblema X L.

MOntopolim dixere Patres, dixere nepotes,
Quã tibi zographicus visẽdã Dædalus offert.
Me platea insignit natiuo prædita saxo,
Quod ferrugineus medium color interfundit.
At cui frons hedera meritò redimita virescit,
Hic meus est Oddus, melica pernobilis arte.
Admiranda licet, vix hæc me munera tãgunt,
Relliquijs dum Roma suis opulenter inaurat.

41 Domus, ex Apuleio, cuius in angulis columnæ quatuor Palmaris Deæ, seu Victoriæ statuas attollunt.

Emblema X L I.

VEstræ, ò Duces anonymi,
Euonymique principes,
Victoriæ sunt bellicæ,
Quæ iam columnis additæ,
Quas occupant, ædes beant.
Ciuilibus victorijs
Nec pondus est, nec firmitas:
Vestris adest æternitas.

42 Templa quadrigemina perpetuo igne lucentia: vnum Delphis, Athenis alterum, Romæ tertium, quartum Hierosolymis.

Emblema XLII.

QVattuor Vrbes templa quaterna,
Vbi perpetuus viueret ignis,
Ilicet amplis coluere modis:
Primum Solymi, Roma secundum,
Tertium Athenæ, Delphi quartum.
Ex quo cineres tenuere sacros,
Totidem numerant templa Sabini,
Quæ sydereas aluere faces.

43 Quatuor cæli cardines, Orientalis, Australis, Aquilonaris, & Occidentalis.

Emblema XLIII.

DIlecta ò superæ Montopolis plagæ,
Tandem bis geminos excipe Martyres,
Eductos tenebris Romulei soli:
Cæli bis geminos excipe cardines,
Quos hìc zographicis ipsa coloribus
Expressos hilari lumine perlegis;
Sed non occiduæ luce notabiles,
Quos Lux vera sibi perpetuò sacrat.

44 Mysticæ quatuor Ezechielis Prophetæ Animantes.

Emblema XLIV.

QVi sacram hic Tetradem conspicit alitẽ,
Idem continuò cogitet alteram,
Quæ mactanda Deo scilicet innocens,
Pœnas delicias putat.
Hæc postquam Superis victima concidit,
Maior supplicijs, morte ferocior;
Crebris laureolis aucta beatius,
Præpes sydera transuolat.

45 Mons Quirinalis frequentibus Sabinorum domicilijs, cum Romam commigrassent, habitatus.

Emblema XLV.

COllem Quirino cognitum
Sapienter, ac beatè
Sabina tenuit gloria,
Cum Romæ amica sedit.
Nos hic sacrum Merentio,
Sodalibusq; collem,
Et occupamus sanctius,
Et sanctius veremur.

46 Sabini, quasi Sebini παρὰ τὸ σέβεσθαι appellati, quos in templa sacrificij causa vetus ipsorum religio aduocauit.

Emblema XLVI.

DEūm nobilior, frequensq; cultus
Nomen, vt memorant, dedit Sabinis.
Tanto Cœlitum, licet doloso,
Se tristes animi metu ligarant.
Nomen re vacuum dolo Megeræ
Gesserunt miseri. Sacros Merentis
Dum colunt cineres pij Nepotes,
Rem cum nomine strenuè occuparunt.

47 Gemina Solstitia cū totidem Aequinoctijs.

Emblema XLVII.

SOlstitijs quid nota duobus,
Et paribus æquinoctijs
Designat pictura Sabinis?
Euonymos, Anonymos.
Hos Recti, Iustiq; tenaces:
Illos, vt ære pactiles,
Virtutis grauitate verendos,
Et sanctitate immobiles.

Fluuius

48 Fluuius, qui, vt est in sacris litteris, è loco voluptatis erumpens, in quatuor sese capita diuidit.

Emblema XLVIII.

DExtra Viretum dædalea satum,
Nomen voluptas cui dedit aureum,
Quadrina diffudit fluenta,
Et steriles animauit oras.
Tot Roma nuper pignora Martyrum
Farfensis oræ Ciuibus edidit,
Quæ Gange ditiora fuluo,
Secla dabunt pretiosiora.

49 Laciniæ Iunonis Ara, quæ & si sub dio sita, procellisq; vndique perflantibus opportuna; cinerem tamen non sine miraculo seruat immobilem.

Emblema XLIX.

AD Cauri fremitus, ad Boreæ minas
Iactatur variè puluereus tumor:
Iunonis tamen ara
Immotos cineres habet.
Dum Cœli rabies, vt cinerem Notus,
Huc illuc miserè dissipat Impios;
Iustorum ossa perennant,
Iustorum cineres manent.

Pal.

50 Palma, quæ quatuor Nouilunijs quatuor itẽ ramis eſt aucta: hæc enim ſola ex arboribus,ad ſingulos Lunæ ortus,ſingulos etiam ramos emittit.

Emblema L.

QVoties naſcens Luna refulget,
Toties victrix palma vireſcit,
Ramoque grauis, Fortibus edit,
Hoſte ſubacto,præmia dextris.
Quater ergo mihi Luna ſupernas,
Ceu fœtifera luce refulſit;
Dum Priſcillæ dia quaterno
Me theſauro Crypta beauit.

PHRE-

PHRENOSCHEMATA.

EX QVIBVS ALIA SS. Martyrum Montopolitanorum propria sunt: alia Montopolitanis, aliisque communia.

1 HIrundines iisdem nobiscum ædibus immorantes. *Inscript.* Facundas habes, & fœcundas.

2 Obelisci quatuor à Sixto V. translati. *Inscrip.* Translatione nobiles.

3 Merces aliò deferendæ. *Inscrip.* Exoticis clarescimus

4 Striata Pauli V. columna. *Inscrip.* Spectanda reuixi.

5 Labrusca nondum translata. *Inscrip.* Metathesi feracior.

6 Columbæ turrim incolentes. *Inscript.* Haud gratis hospitantur.

7 Apes arbuscula exceptæ. *Inscrip.* Scin'dulciores hospites?

8 Tali quatuor hexagoni. *Inscript.* Volupiæ nati.

Sub.

9 Subſtructio ſubdialis quatuor columnis innixa. *Inſcrip.* Non imbres, non flabra timet.

10 Militaris Teſſera Sabinorum quaternis inſcripta litteris S.P.Q.R. id eſt, Sabinis Populis Quis Reſiſtet? *Inſcrip.* Duce Donino.

11 Arx cuſtodia quadruplici communita. *Inſcrip.* Quot excubent, non ambigo.

12 Sixti V. Obeliſcus ad D. Petri Leonibus quaternis impoſitus. *Inſcrip.* Nil vrget Sarcinarios.

13 Apes bubulo è cadauere exiſtentes. *Inſcrip.* Expectate fauos.

14 Leunculorum oſſa, quæ colliſa ſcintillant. *Inſcrip.* Mitto pyritem.

15 Veſpæ equino è cadauere prognatæ. *Inſcrip.* Procul hinc errones.

16 Pica, quæ oua è ſurculo dependentia transfert. *Inſcrip.* Spe prolis.

17 Cerui mare tranantes. *Inſcrip.* Meticuloſos dixeris?

18 Cerui, qui cornu dextrum, vel in viuarijs defodiunt. *Inſcrip.* Hinc medicina petenda eſt.

19 Cerui hederam cornibus ex attritu arborum innatam præferentes. *Inſcrip.* Et oſſa germinabunt.

20 Serpentes ceruinorum cornuum ambuſtorum odorem auerſatæ. *Inſcrip.* Scio Alexipharmacum.

21 Cerui, qui ſerpentes nariũ ſpiritu extrahunt. *Inſcrip.* Aurum ſinimus Auaris.

Gryphi

22 Gryphes aurum ex cuniculis eruentes. *Inscrip.* Ad vota Cupidorum.

23 Indicæ formicæ aurum ex terræ cauernis egerentes. *Inscrip.* Radiculas Herbarij.

24 Elephantes, qui dentes deciduos defodiunt. *Inscrip.* Quasi pretium pernoscant.

25 Turris tetragona, quæ singulis angulis singula funalia sustollit. *Inscrip.* Intus, forisq; sospitat.

26 Dracones quaterni, qui apud Asachæos Aethiopes cratium modo inter se implexi, ad meliora Arabiæ pabula erectis capitibus velificantur. *Inscript.* Cibi potioris amore.

27 Leones quaterni longo villo, simplicique spectabiles. *Inscrip.* Do vulnerum contemptores.

28 Romanarum signa legionum in castris aliquandiu relicta, Lupus, Equus, Aper, & Minotaurus. *Inscrip.* Fortibus ardor, timor Ignauis.

29 Hyemis aduenæ Grues aliò commigrantes. *Inscrip.* Excubias edoctura.

30 Bellicum Sabinorum vexillum, quadrigeminis notatum characteribus. S. P. Q. R. hoc est Sabinis Populis Quis Resistet? *Inscrip.* Merentiano Principe.

31 Anseres ad fores Capitolinas. *Inscrip.* Certa Romulidûm salus.

32 Anseres aliò demigrantes. *Inscrip.* Et hospites, & custodes.

Olo-

33 Olores gregatim volantes. *Inſcrip.* Auditu, viſuq́; commodi.

34 Gallinacei nocturno ſilentio vocales. *Inſcrip.* Vigiles operis monitores.

35 Apodes nauigia vel in Alto circumuolantes. *Inſcrip.* Nuſquam non fidi.

36 Dracones regio cuſtodes Ærario adhibiti. *Inſcrip.* Edomita furacitas.

37 Leo faces ſingulis tetragonæ turris angulis inardentes auerſatus. *Inſcrip.* Didici domitrices.

38 Pecuarij Moloſſi ouillo pecori Vigiles interiecti. *Inſcrip.* Rapacibus occurſum.

39 Leones templo cuſtodes dati. *Inſcrip.* Tutela ineluctabilis.

40 Sal in Sabinos via Salaria vehentibus Aquilis deportatum. *Inſcrip.* Condimenta Sabinis.

41 Fecenia Vitis, & cum ea florens Biturica Sabinis collibus, ex Plinio, familiaris. *Inſcrip.* Colles amat Sabinos.

42 Vinaciola Vitis, ex Plinio, vix alijs cognita, quàm Sabinis. *Inſcrip.* Soli norunt Sabini.

43 Aëtites Aquilæ roſtro delatus, cui detrimentoſus ignis non eſt. *Inſcrip.* Nil igne deperdit.

44 Canes fluuio enatantes. *Inſcrip.* Suſpice puriores.

45 Triticum ſuis incluſum ſaccellis. *Inſcrip.* Terra obrutis feracitas.

Cera-

46 Arbores, Perſica, Medica, Ceraſus, & Armeniaca noſtratibus oris aliunde illatæ. *Inſcript.* Hoſpitio celebres.

47 Nuces iuglandes, quas perticis ictas memorant fœcundiores. *Inſcrip.* Verberatæ, meliores.

48 Vites, quæ feracitatem ferro, ac putatione nanciſcuntur. *Inſcrip.* Ferro fœcundæ.

49 Aeſtatis aduenæ ciconiæ aliò immigrantes. *Inſcrip.* Venenis Antipharmacum.

50 Militare Sabinorum ſignum, quatuor diſtinctum notis S. P. Q. R. id eſt, Sabinis Populis Quis Reſiſtet? *Inſcrip.* Anonymis pugnantibus.

F I N I S.